



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopis qui, se viuentibus, successores eligere desiderant. lxxxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*De episcopis qui se viuentibus successores eligere de-  
siderant. Cap. CLXXXV.*

*Ex cōcil. Antioche. cap. 23.* **E**piscono non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perueniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse huiusmodi constitutum. Seruetur autem ius ecclesiasticum id continens oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & iudicio episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus extiterit promouere.

*Vt episcopo viuento nullus superordinetur.  
Caput CLXXXVI.*

*Ex cōcil. Auernē. cap. 13.* **V**T nullus viuento episcopo alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius locum quem capitalis culpa deiecerit.

*Quod non liceat episcopo successorem eligere.  
Cap. CLXXXVII.*

*Ex cōcil. Spalensi. cap. 8.* **E**piscopum non liceat ante finem vitæ, alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc usurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio & iudicio episcoporum, qui post exitum præcessoris, potestatem habent dignum eligere.

*Quod nusquam canones præcipiant, vt pro ægritudine episcopi, alius succedat, & si ipse pro sua molestia petierit, qualiter fieri possit.*

*Cap. CLXXXVIII.*

*Ex regist. Gregorij pape, ad Anatoliū Constantinopolitæ diaconū.* **S**cripsit mihi dilectio tua me reuerēdissimo fratri meo Iohanni primæ Iustinianæ episcopo, pro ægritudine capitis quam patitur episcopum præcipere succedi: ne fortasse dum episcopi iura eadem ciuitas non habeat, quod absit, ab hoste depereat. Equidem nusquam canones præcipiunt, vt pro ægritudine episcopi episcopus succedat: & omnino iniustum est, vt si molestia corporis irruit, honore suo priuetur ægrotus. Sed suggerendum est, vt si quis in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere, & locum illius in regimine Ecclesiæ ipso nō deposito cōseruare, vt neq; Deus omnipotēs offendatur, neq; ciuitas neglecta esse inueniatur.